teria, & forma, quæ sunt quædam naturæ, causant aliam naturam, scilicet compositum; at compositum non causat aliam naturam, & certè Aristoteli debet attribui interpretatio aliqua, quandoquidem *in 5. Metaph.* dicit compositum esse naturam.

Num. 27. Determinat author quod ars possit efficere opera naturæ in virtute aliena. Prob primò.

Resolutio secunda: Quamuis ars non possit præstare opera naturæ in sua propria virtute, attamen id potest in virtute aliena. Probatur *prima* pars: causæ diuersi ordinis non possunt producere effectum alterius ordinis, quàm illius in quo sunt; sed ars, seu causæ artificiales sunt diuersi omnino ordinis à causis naturalibus, ergo non possunt producere effectus causarum naturalium. Maior patet; causæ enim supernaturales non producunt effectus, nisi supernaturales, vt docent communiter Theologi de fide, spe, & Charitate: item causæ naturales non possunt producere effectus supernaturales in sua virtute; nam dum aqua in baptismo lauat animas, hoc facit in virtute Dei eleuantis supernaturaliter aquam ad productionem effectûs supernaturalis: Minor verò argumenti probatur; sicut se habet naturale ad supernaturale, ita se habet artificiale ad naturale, sed naturale & supernaturale sunt diuersi ordinis, ergo artificiale, & naturale erunt diuersi ordinis.

Secundò.

Probatur *secundò* eadem *prima* pars: nulla causa potest agere supra se; sed causæ artificiales sunt inferiores causis naturalibus, sunt enim veluti illarum pedissequæ, ergo ars non potest supra opus naturæ, quia tale opus est supra captum causarum artificialium.

Probatur 2. pars.

Secundam resolutionis partem tam multæ manifestant experientiæ, vt nulli dubia relinqui possit; per applicationem enim actiuorum ad passiua mira homines præstare solent, ipsique naturæ videntur illudere: Inter infinitas experientias illam refero, quam Iulius Scaliger, *exer. 23. in Cardanum* de productione pullorum in Ægypto quocunque tempore etiam hyemali, posito enim, quòd generatio pulli sit naturalis, vt nemo negabit, inferam: generatio pulli fit ab arte, sed generatio pulli est opus naturæ, ergo ars facit opus naturæ: minor conceditur ab omnibus, maior probatur experientiâ illâ, quam affert Scaliger; dicit enim in Ægypto quosdam furnos construi cum multiplici fornice, & in illis innumeram ouorum apponi multitudinem, deinde immitti ignem tepidum seu remissum, sicq; tepidè calefacta illa oua post aliquod tempus euadere in pullos, & cum tanta quantitate, vt non in numero, sed in modio vendantur: vides ergo quomodo in hac experientiâ ars imitetur naturam; Idem etiam dic de Alchymia, seu de arte faciendi verum aurum; nam ex multorum sententia de facto datur vera ars, quâ alia metalla conuertantur in aurum.

De qua tamen re sunt multæ opiniones; nam Ruuius *quæstion. 4. in c. primum 2. Phys.* & Conimb. *quæst. 7.* Volunt absolutè impossibilem esse Alchymiam: at Delrio *lib. primo disquis. magi: quatuor* hac de re profert sententias: *prima* est Abulensis *in cap. 10. in exodi* negantis quoque verum fieri posse aurum arte chymicâ. *Secunda* reputatur inter Thomistas communis dicentes aurum quidem effici posse arte chymicâ, sed non verum, quale est inter homines commune. Vnde inferunt, quòd malè faciant pharmacopolæ illo auro vtentes in potionibus.

Num 28. Non est impossibile verum aurum fieri arte Chymica & prob.

Tertia est omnium chymicorum dicentium verum, & optimum effici aurum arte chymicâ. *Quarta* vult fieri posse aurum, sed difficillimè, & hanc posteriorem existimo magis probabilem, quòd autem non sit impossibile, patet ex eo quod non implicet ex parte causæ efficientis, neque ex parte materiæ conuertibilis in aurum: Non ex parte efficientis, quia efficiens est ars, ars autem imitatur naturam, & producit opus naturæ, tum ex Aristot. tum ex sup. resol. nimirum applicando actiua passiuis: Non etiam repugnat ex parte materiæ, aurum enim naturaliter factum nil est aliud, nisi materia quædam ex sulphure, & argento viuo compacta, ritè & debitè in terræ visceribus per calorem solis decocta. At chymicus per artem potest decoquere ritè, & debitè sulphur, & argentum viuum, ergo & ad confectionẽ veri auri peruenire; Confirmatur, quia videmus dictos chymicos mira circa metalla operari vnumquodque in aliud transmutando, ergo quare idem non poterunt præstare circa aurum? Confirmatur experientiâ; nam plumbum multo tempore expositum aëris iniurijs, aut per varias liquefactiones purgatum, accipit quandam argenti naturam, ergo multò meliùs dicemus id fieri posse, & perfectiùs per Chymici industriam.

Obij primò.

Obijcitur tamen *primò*: Non potest fieri transitus de vna specie in speciem, sed metalla differunt specie, ergo vnum non potest in aliud transire: at mutatio chymica est mutatio vnius metalli in aliud; vnde cùm hæc immutatio sit impossibilis, ergo & illa.

Resp.

Respondeo negando metalla differre inter se specie perfectâ: dum verò dicitur transitum non fieri de specie in speciem, intellige de specie perfecta. Adde quod esto metalla differrent specie perfectâ, hoc tamen modo responderem, quòd videlicet non fiat transitus de specie in speciem remanente priori specie, concedo, eâ verò mutatâ. Nego: Exemplum sit; Ex Binario fit ternarius numerus, vnde species numeri mutatur in aliam speciem numeri deperditâ nimirum priori specie; Ita dum vnum metallum mutatur in aliud, amittit suam naturam, & accipit naturam alterius, in quod transmutatur.

Obij. secundò.

Obijcitur *secundo*. Vix potest concipi, & cognosci natura metallorum: sed quomodo fiet vnius in aliud transmutatio, nisi naturam vtriusque chymicus cognoscat?

Resp.

Respondeo negando Chymicos ignorare naturam metallorum, se enim optimè callere naturam eorum profitentur.

Obij. tertiò.

Obijcitur *tertiò*: Illud indicatur impossibile fieri moraliter posse, quod à nemine vnquam reperitur factum; sed verum aurum arte chymicâ factum nusquam reperitur, imò leges ciuiles damnant chymicos, ergo &c.

Resp.

Respondeo negando nunquam factum esse verum aurum; Cœlius enim Rodiginus narrat *lib. 11. cap. 13.* suo tempore quendam hominem fuisse in Gallia, qui præ industria quodlibet metallum in aurum transmutaret, fertúrque præterito